

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Liber tertius

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

Ariensis, qui ita de me meritis est, ut perpetuò animæ ipsius bene precari debeam, ex hac vitâ discederet, fulmen, in palatium ipsius decidens, ad mea usque cubicula perueniret. Ibi gladij qui ad lectum vnius de famulis meis pendeat, mucronem ipsum ita colliquefecit, ut in globulum conuerterit, vaginâ prorsus illasâ.

AD CAP. XXXIII. 6. QVORVM ARS

IN TRIA DIVIDITVR.] Mirum cur non & pro quarto addiderit artem fulminum eliciendorum, siue euocandorum, de quâ est apud Ovidium libro III. Fastorum; & apud Plinium cap. LIIII. lib. II. & alios, sed illam fortassis, tamquam nimis periculosam, abiecerant. Possem multa notare ad ea quæ sequuntur, de variis generibus fulminum. Sed me, ut verum fateor, ineptiarum piget.

L. ANNÆI SENECAE

B AD LVCILIVM

NATVRALIVM QVÆSTIONVM

LIBER TERTIVS.

Qui est de aquis.



C

NON præterit me, Lucili virorum optime, quàm magnarum rerum **P R Æ -**
fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui, & caus- **FATIO.**
fas secretaque eius eruere, atque aliis noscenda prodere. Quando
tam multa cōsequar? tam sparsa colligam? tam occulta perspiciam?
Premeat à tergo senectus, & obiicit annos inter vana studia con-
sumptos. tanto magis vrgeamus, & damna ætatis malè exactæ la-
bor sarciat. Nox ad diem accedat. Occupationes recidantur: pa-
trimonij longè à domino iacentis cura solvatur: sibi totus animus vacet, & ad contem-
plationem sui saltem in ipso fine respiciat. Faciet, ac sibi instabit, & quotidie breuita-
tem temporis metietur. Quidquid amissum est, id diligenti vsu præsentis vitæ recolli-
get. Fidelissimus est ad honesta ex pænitiâ transitus. Libet mihi exclamare illum
poëtæ inclyti versum:

Tollimus ingentes animos, & maxima paruo

Tempore molimur. —

D Hoc dicerem, si puer iuuenisve moliret. Nullum enim non tam magnis rebus tempus
angustum est. Nunc verò ad rem seriam, grauem, immensam, postmeridianis horis ac-
cessimus. Faciamus quod in itinere fieri solet. Qui tardiùs exierunt, velocitate pensant
moram. Festinemus, & opus nescio an superabile, magnum certè, sine ætatis excusatio-
ne tractemus. Crescit animus, quoties cœpti magnitudinem attendit, & cogitat, quan-
tum proposito, non quantum sibi superfit. Consumpsere se quidam, dum acta regum
externorum componunt, quæque passi inuicem ausique sunt populi. Quanto satius
est, sua mala extinguere, quàm aliena posteris tradere? Quanto potius deorum opera
celebrare, quàm Philippi aut Alexandri latrocinia, ceterorumque, qui exitio gentium
clari, non minores fuisse pestes mortalium, quàm inundatio, quâ planum omne perfu-
sum est; quàm conflagratio, quâ magna pars animantium exaruit? Quemadmodum
Hannibal superauerit Alpes, scribunt: quemadmodum confirmatum Hispaniæ cladi-
bus bellum Italiæ inopinatius intulerit: infractisque rebus etiam post Carthaginem per-
tinax, reges pererrauerit, contra Romanos ducem se promittens, etiam sine exercitu.

quem-

quemadmodum non desierit senex omnibus angulis bellum quærere. adeò sine patriâ A
 esse pati poterat, sine hoste non poterat. Quanto satius, quid faciendum sit, quàm quid
 factum sit, quærere; ac docere eos qui sua permiscere fortunæ, nihil stabile ab illâ datum
 esse, eius omnia fluere aurâ mobilius? nescit enim quiescere, gaudet lætis tristia substi-
 tuere, & vtrique miscere. Itaque in secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat.
 alternæ sunt vices rerum. Quid exsultas? Ista quibus veheris in summum, nescis vbi te
 relictura sint: habebunt suum, non tuum, finem. Quid iaces? ad imum delatus es: nunc
 est resurgendi locus. In melius aduersa, in deterius optata flectuntur. Ita concipienda est
 animo varietas, non priuatarum tantum domuum, quas levis casus impellit, sed etiam
 publicarum. Regna ex infimo coorta supra imperantes iacuerunt. Vetera imperia in ipso
 flore cecidêre. Iniri non potest numerus, quàm multa ab aliis fracta sint. nunc cumma-
 ximè Deus alia exaltat, alia submittit, nec molliter ponit, sed ex fastigio suo nullas habi-
 tura reliquias iactat. Magna ista, quia parui sumus, credimus. Multis rebus non ex na-
 turâ suâ, sed ex humilitate nostrâ magnitudo est. Quid præcipuum in rebus humanis B
 est? Non classibus maria complexisse, nec in rubri maris littore signa fixisse, nec deficien-
 te terrâ ad iniurias aliorum errasse in oceano, ignota quærentem: sed animo omne vi-
 disse, & quâ nulla est maior victoria, vitia domuisse. Innumerabiles sunt, qui vrbes, qui
 populos habuêre in potestate: paucissimi, qui se. Quid est præcipuum? Erigere animum
 supra minas & promissa fortunæ. Nihil dignum putare quod speres. Quid enim habet
 dignum, quod concupiscas? qui à diuinorum contemplatione quoties ad humana reci-
 deris, non aliter caligabis, quàm quorum oculi in densam vmbra ex claro sole rediêre.
 Quid est præcipuum? Possè læto animo aduersa tolerare: quidquid acciderit, sic ferre,
 quasi tibi volueris accidere. Deuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto Dei fieri.
 Flere, queri, ingemere, desciscere est. Quid est præcipuum? Animus contra calamitates
 fortis & contumax, luxuriæ non aduersus tantum, sed & infestus: nec auidus periculi,
 nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere: & aduersus vtramque intrep-
 idus inconfususque prodire, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus. Quid est C
 præcipuum? non admittere in animum mala consilia, putas ad cælum manus tollere:
 nullum petere bonum, quod vt ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere: opta-
 re, quod sine aduersario optatur, bonam mentem: cetera magno aestimata mortalibus,
 etiam si quis domum casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, quâ venerint. Quid est præ-
 cipuum? Altos supra fortuita spiritus attollere: hominis meminisse, vt, siue felix eris,
 scias hoc non futurum diu: siue infelix, scias hoc te non esse, si non putes. Quid est præ-
 cipuum? in primis labris animam habere. Hæc res efficit non è iure Quiritium liberum,
 sed è iure naturæ. Liber autem est, qui seruitutem effugit sui. Hæc est assidua seruitus,
 & ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, sine interuallo, sine comnea-
 tu. Sibi seruire, grauissima seruitus est: quam discutere facile est, si desieris multa te po-
 scere, si desieris tibi referre mercedem, si ante oculos & naturam tuam posueris & ata-
 tem, licet prima sit. ac tibi ipse dixeris: Quid insanio? quid anhelio? quid sudo? quid
 terram verso? quid forum viso? Nec multo opus est, nec diu. Ad hoc proderit nobis in- D
 spicere rerum naturam. primò discedemus à fordidis, deinde animum ipsum, quo ma-
 gno summoque opus est, seducemus à corpore. Deinde in occultis exercitata subtilitas,
 non erit in aperto deterior. Nihil autem est apertius his salutaribus, quæ contra nequitiam
 C A P. nostram furoremque discuntur, quæ damnamus, nec ponimus. Quæramus ergo

I. de aquis, & inuestigemus, quâ ratione fiant. Siue, vt ait Ouidius,

Fons erat illimis nitidis argenteus undis:

siue, vt ait Virgilius,

Unde per ora nouem vasto cum murmure montis

It mare præruptum, & pelago premit arua sonanti:

siue vt apud te, Iunior carissime, inuenio:

Eleus Siculis de fontibus exsilit amnis.

si qua ratio aquas subministret: quomodo tot flumina ingentia per diem noctemque
 decur-

A decurrant : quare alia hibernis aquis intumescant, alia in defectu ceterorum annuum crescāt. Nilum interim seponamus à turbā, propriæ naturæ & singularis: illi diem suum dabimus, nunc vulgares aquas prosequemur, tam frigidas quàm calentes. In quibus quærendum erit, vtrum calidæ nascantur, an fiant. De ceteris quoque differemus, quas insignes aut sapor, aut aliqua reddit utilitas. Quædam enim oculos, quædam nervos iuuant, quædam inueterata & desperata à medicis vitia percurrunt. Quædam medentur vlceribus, quædam interiora fouent potu, & pulmonis ac viscerum querelas leuant. Quædam supprimunt sanguinem : tam varius singulis vsus, quàm gustus est.

² Aut stant omnes aquæ, aut fluunt, aut colliguntur, aut varias habent venas. Alia sunt dulces, alia variæ : asperæ quippe interueniunt, falsæ aut medicatæ : ex quibus sulphuratas dicimus, ferratas, aluminosas. Indicat vim sapor. Habent præterea multa discrimina. Primum tactus : frigida calidæque sunt. deinde ponderis : leues & graues sunt. deinde coloris : puræ sunt & turbidæ, cæruleæ, lucidæ. deinde salubritatis : sunt enim salubres & vtilis, sunt mortiferæ, sunt quæ cogantur in lapidem. Quædam tenues, quædam pingues : quædam alunt, quædam sine vllâ bibentis ope transeunt, ³ quædam haustæ fecunditatem afferunt.

B Vt stet aqua, aut fluat, loci positio efficit : in deuexo fluit, in plano continetur & stagnat, & aliquando in aduersum spiritu impellitur : tunc cogitur, non fluit. Colligitur ex imbribus : ex suo fonte natiua est. Nihil tamen prohibet, eodem loco aquam colligi, & nasci : quod in Fucino videmus, in quem montis circumiecti fluuij deriuantur. Sed & magnæ latentesque in ipso vndæ sunt. itaque etiam cum hiberni defluxere torrentes, faciem suam seruant.

Primùm ergo quæramus, quomodo ad continuandos fluminum cursus terra sufficiat, vnde tantum aquarum exeat. Miramur, quòd accessionem fluminum maria non sentiant. Æquè mirandum est, quòd detrimenta exeuntium terra non sentit. Quid est, quod illam sic impleuit, vt præbere tantum ex recondito possit, ac subinde suppleat? Quamcumque rationem reddiderimus de flumine, eadem erit riuorum ac fontium.

C quidquid aquarum emisit, rursus accipere : & ob hoc maria non crescere, quia quod influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt. Occulto enim itinere subit terras, & palàm venit, secretò reuertitur, colaturque in transitu mare : quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, & prauitatem saporis in tantâ soli varietate exuit, & in sinceram aquam transit.

Quidam existimant, quidquid ex imbribus terra concipit, in flumina rursus emitte. Et hoc argumenti loco ponunt, quòd paucissima flumina sunt in his locis, in quibus rarus est imber. Ideò siccitas esse aiunt Æthiopiarum solitudines, paucosque inueniri in interiore Africâ fontes : quia feruida cæli natura sit, & pænè semper æstiuæ. Squalidæ itaque sine arbore, sine cultore arenæ iacent, raris imbribus sparæ, quos statim combibunt. At contrà constat, Germaniam Galliamque, & proximè ab his Italiam, abundare riuis & fluminibus : quia cælo humido vtuntur, & ne æstas quidem imbribus caret.

D Aduersus hæc multa dici posse vides. Primùm ego tibi vinearum diligens fossor affirmo, nullam pluuiam esse tam magnam, quæ terram vltra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam crustam consumitur, nec in inferiora descendit. Quomodo ergo potest imber suggere annibus vires, qui summam humum tingit? Pars maior eius per fluminum alueos in mare aufertur. Exiguum est quod sorbet terra, nec id seruat. Aut enim arida est, & absomit quidquid in se fufum est : aut satiata, si quid supra desiderium cecidit, excludit. Et ideò primis imbribus non augentur amnes : quia totos in se sitiens terra trahit. Quid quòd quædam flumina erumpunt saxi & montibus? His quid conferent pluuiæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram cui insideant? Adiice, quòd in siccissimis locis putei in altum acti, per ducenûm aut tricenûm pedum spatia, inueniunt aquarum vberes venas, in eâ altitudine, in quam aqua non penetret : vt scias illis non cælestem esse, nec collectitium humorem, sed quod dici solet, viuam aquam. Illo quoque argumento hæc opinio refellitur, quòd quidam fontes in summo montis cacumine redundant. Apparet ergo, illos sursum agi, aut ibi concipi, cum omnis aqua pluuialis decurrat.

- VIII. Quidam existimant, quemadmodum in exteriori parte terrarum vastae paludes iacent, A magni & nauigabiles lacus, quemadmodum ingenti spatio terrae maria porrecta sunt, infusa vallibus: sic interiora terrarum abundare aquis dulcibus, nec minus illas stagnare, quam apud nos Oceanum, & sinus eius: imò eò latius, quò plus terra in altum patet. Ergo ex illa profundâ copiâ isti amnes egeruntur: quos quid miraris si terra detractos
- IX. non sentiat, cum adiectos maria non sentiant? Quibusdam hæc placet causa. Aiunt habere terram intra se cauos recessus, & multum spiritus: qui necessario frigescit, umbra graui pressus. Deinde piger & immotus, in aquam, cum se desit ferre, conuertitur. Quemadmodum supra nos mutatio aeris umbram facit, ita infra terras flumen aut riuum agit. Supra nos stare non potest segnis diu & grauis. Aliquando enim sole tenuatur, aliquando ventis expanditur. Itaque interualla magna imbribus sunt. Sub terrâ verò quidquid est, quod illum in aquam conuertat, idem semper est, umbra perpetua, frigus æternum, inexercitata densitas: semper ergo præbebit fonti aut flumini causas. Placet nobis terram esse mutabilem. Hoc quoque quidquid effluit, quia non aëre libero concipitur, crassescit, & protinus in humorem conuertitur. Habes primam aquarum sub terrâ nascentium causam. Adicias etiam licet, quod fiant omnia ex omnibus. Ex aquâ aër. Ex aëre aqua. Ignis ex aëre. Ex igne aër. Quare ergo non terra fiat ex aquâ, & ex terrâ aqua? quæ si in alia mutabilis est, & in aquam: imò maximè in hanc. Vtraque cognata res est, vtraque grauis, vtraque densa, vtraque in extremum mundi compulsa. Ex aquâ terra fit. Cur non aqua fiat è terrâ? At magna flumina sunt. Cum videris, quanta sunt: rursus ex quanto prodeant, adspice. Rursus miraris, cum labantur affludè, quædam verò concitata rapiantur, quæ præstò sit illis semper aqua noua. Quid si mireris quòd cum venti totum aëra impellant, non deficit spiritus, sed per dies noctesq; æqualiter fluit: nec vt flumina certo alueo fertur, sed per vastum cæli spatium lato impetu vadit? Quid si vllam vndam superesse mireris, quæ superueniat tot fluctibus fractis? Nihil deficit quod in se redit. Omnium elementorum alterni recursus sunt. Quidquid alteri perit, in alterum transit. Et natura partes suas velut in ponderibus constitutas examinat: ne portionum æquitate turbatâ, mundus præponderet. ⁶ Omnia in omnibus sunt. Non tantum aër in ignem transit, sed nunquam sine igne est. Detrahe illi calorem: rigescet, stabit, durabitur. Transit aër in humorem: sed nihilominus non sine humore. Et aëra & aquam facit terra: sed non magis vnquam sine aquâ est, quam sine aëre. Et ideò facilius inuicem transitus est: quia illis in quæ transeundum est, iam mixta est. Habet ergo terra humorem: hunc exprimit. Habet aëra: hunc umbra hiberni frigoris densat, vt faciat humorem. Ipsa quoque mutabilis est in humorem. naturâ suâ vitur.
- XI. Quid ergo, inquis, si perpetuæ sunt causæ, quibus flumina oriuntur, ac fontes: quare aliquando siccantur, aliquando quibus non fuere locis, exeunt? Sæpè motu terrarum itinera turbantur, & ruina interfcindit aquas, quæ retentæ nouos exitus quærunt, & aliquo impetu faciunt, aut ipsius quassatione terræ aliundè aliò transferuntur. Apud nos euenire solet, vt amisso canali suo flumina primum refundantur: deinde quia perdiderunt viam, faciant hoc, quod accidisse ait Theophrastus ⁷ in Coryco monte, in quo post terrarum tremorem noua vis fontium emerfit. Sed & alios quoque casus interuenire quidam opinantur, qui aliter euocent aquas, aut à cursu suo deiciant, atque auertant. Fuit aliquando aquarum inops ⁸ Hæmus: sed cum Gallorum gens à Cassandro obsessa in illum se contulisset, & siluas cecidisset, ingens aquarum copia apparuit, quas videlicet in alimentum suum nemora ducebant: quibus excisis, humor, qui desit in arbuſta consumi, superflus est. Idem ait & circa Magnesiam accidisse. Sed pace Theophrasti dixisse liceat, non hoc est simile veri: quia ferè aquosissima sunt, quæcumque vmbrosissima. Quod non eueniret, si aquas arbuſta siccarent; quibus alimentum ex proximo est: fluminum verò vis ex intimo manat, vltraque excipitur, quam radicibus euagari licet. Deinde succisæ arbores plus humoris desiderant. Non enim tantum id quo viuunt, sed & id quo crescant trahunt. ⁹ Idem ait, circa Arcadiam, quæ vrbs in Cretâ insulâ fuit, fontes & lacus substituisse, quia desierit coli terra, dirutâ vrbe: postea

A postea vero
ponit, quod
Quomodo
mus, quæ
tur. Non
gnis apta
capite dei
tenore
hoc alius
nem acci
me, quon
elementa
tura. Q
B effunder
riuos &
virium d
deficere.
putat, ex
sumus.
Hunc cu
humore
dium. M
nia? Hic
edendis
Ait enim
ctuare,
C funden
plode. N
Ægypti
rem man
lem voca
ma: & f
cautesqu
est: ab in
Quomod
minis cur
flum fit,
plius cen
plar, in q
D quoque
ad simila
aquarum
sed multa
rebrum, in
per quod
ra. Quæd
rum argen
dam vero
causa aqu
nostris co
qua, aut
humorem

A postea verò quàm cultores receperit, aquas quoque recepisse. Causam siccitatis hanc ponit, quòd obduruerit constricta tellus, nec potuerit imbres inagitata transmittere. Quomodo ergo plurimos videmus in locis desertissimis fontes? Plura denique inuenimus, quæ propter aquas coli cœperunt, quàm quæ aquas habere cœperint, quia colebantur. Non enim esse pluuialem hanc aquam, quæ vastissima flumina à fonte statim, magnis apta nauigiis defert, ex hoc intelligas licet, quòd per hiemem æstatemque par est à capite deiectus. Pluuia potest facere torrentem: non potest autem æquali inter ripas suas tenore labentem. Aquam non faciunt imbres, sed excitant. Paullò repetamus hoc altiùs, si videtur: & scies non habere quod quæris, cùm ad veram annium originem accesseris. Flumen nempe fecit copia cursusque aquæ perennis. Ergo si quæris à me, quomodo aqua fiat: interrogabo inuicem, quomodo aër fiat, aut terra. Si rerum elementa sunt quattuor, non potes interrogare vnde aqua sit: quarta enim pars est naturæ. Quid ergo miraris, si rerum naturæ portio tam magna, potest aliud ex se semper effundere? Quomodo aër, & ipse quarta pars mundi, ventos & auras mouet, sic aqua riuos & flumina. Si ventus est fluens aër, & flumen est fluens aqua. Satis multum illi virium dedi, cùm dixi, elementum est. Intelligis, quod ab illo proficiscitur, non posse deficere. ^{1º} Aqua, ait Thales, valentissimum elementum est. hoc fuisse primùm putat, ex hoc surrexisse omnia. Sed & nos quoque aut in eadem sententiâ, aut in ultimâ sumus. Dicimus enim ignem esse, qui occupet mundum, & in se cuncta conuertat. Hunc euanidum confidere, & nihil relinqui aliud in rerum naturâ, igne restincto, quàm humorem: in hoc futuri mundi spem latere. Ita ignis exitus mundi est, humor primordium. Miraris amnes ex hoc posse exire semper, qui pro omnibus fuit, & ex quo sunt omnia? Hic humor in diductione rerum ad quartas redactus est, sic positus, vt fluminibus edendis sufficere, vt riuus, vt fontibus posset. Quæ sequitur, Thaletis inepta sententia est. Ait enim, terrarum orbem aquâ sustineri, & veli more nauigij, mobilitateque eius fluctuare, tunc cùm dicitur tremere. Non est ergo mirum, si abundat humor ad flumina fundenda, cùm mundus in humore sit totus. Hanc veterem & rudem sententiam explode. Nec est quòd credas, in hunc orbem aquam subire per rimas & facere sentinam.

Egyptij quattuor elementa fecere: deinde ex singulis bina, marem & fæminam. Aërem marem iudicant, quâ ventus est: fæminam, quâ nebulosus & iners. Aquam virilem vocant mare: muliebre omnem aliam. Ignem vocant masculum, quâ ardet flamma: & fæminam, qua lucet innoxius tactu. Terram fortiorem marem vocant, saxa cautesque: fæminæ nomen assignant huic tractabili ad culturam. Mare vnde est? ab initio scilicet ita constitutum: habet suas venas, quibus impellitur atque æstuat. Quomodo maris, sic & huius aquæ mitioris vasta in occulto via est, quam nullius fluminis cursus exhauriet. Abdita est virium eius ratio. Tantum ex illâ, quantum superfluum fit, emittitur. Quædam ex istis sunt, quibus assentire possumus: ¹¹ sed hoc amplius censeo. Placet naturâ regi terram: & quidem ad nostrorum corporum exemplar, in quibus & venæ sunt & arteriæ: illæ sanguinis, hæ spiritus receptacula. In terrâ quoque sunt alia itinera, per quæ aqua: & alia, per quæ spiritus currit: adeoque illam ad similitudinem humanorum corporum natura formauit, vt maiores quoque nostri aquarum appellauerint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantum sanguis est, sed multa genera humoris, alia necessarij, alia corrupti, ac paullò pinguioris, in capite cerebrum, in ossibus medullæ, muci, saliuæque & lacrimæ, & quiddam additum articulis, per quod citius flectantur ex lubrico: sic in terrâ quoque sunt humoris genera complura. Quædam quæ matura durentur. Hinc est omnis metallorum humus, ex quibus aurum argentumque petit auaritia: & quæ in lapidem ex liquore vertuntur. In quibusdam verò locis terra humorque liquefcit: sicut bitumen, & cetera huic similia. Hæc est causa aquarum, secundum legem naturæ, voluntatemque nascentium. Ceterum vt in nostris corporibus, ita in illâ sæpè humores vitia concipiunt: aut ictus, aut quasiatio aliqua, aut loci senium, aut frigus, aut æstus corrumpere naturam, & sulphuratio contrahit humorem, qui modò diuturnus est, modò brevis. Ergo vt in corporibus nostris sanguis,

guis, cum percussa vena est, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut donec venæ scissura subsedit, atque interclusit, vel aliqua alia causa retrò dedit sanguinem: ita in terrâ, solutis ac patefactis venis, riuus aut flumen effunditur. Interest, quantum aperta sit vena, quomodo consumpta aqua sit: modò exsiccat aliquo impedimento, inodò coit velut in cicatrice, comprimiturque quam fecerat viam: modò illa vis terræ, quam esse mutabilem diximus, desinit posse alimenta in humorem conuertere: aliquando autem exhausta replentur: modò per se viribus relictis, modò aliunde translatis. Sæpè enim inania apposita plenis humorem in se attrahunt. Sæpè terra si facilis est, ipsa in tabem resoluitur, & humescit. Idem euenit sub terrâ, quod in nubibus, ut spissetur, grauioremque, quam ut manere in naturâ suâ possit, gignat humorem. Sæpè colligitur roris modo, tenuis & dispersus liquor, qui ex multis in vnum locis confluit. Sudorem aquileges vocant: quia guttæ quædam vel pressurâ loci eliduntur, vel æstu euocantur. Hic tenuis vnda vix fonti sufficit. At ex magnis causis, magnisque conceptibus excidunt amnes, nonnumquam leuiter, si aqua pondere suo se tantum detulit: nonnumquam vehementer

XVI. & cum sono suo, si illam spiritus intermixtus eiecit. ¹² Sed quare quidam fontes senis horis pleni, senisque sicci sunt? Superuacuum est nominare singula flumina,

quæ certis mensibus magna, certis angusta sunt: & occasione singulis quærere, cum possum eandem causam omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus respondet, quemadmodum purgatio, si nihil obstitit, statum diem seruat, quemadmodum præstò est ad mensem suum partus: sic aquæ interualla habent, quibus se retrahant, & quibus reddant. Quædam autem interualla minora sunt, & ideò notabilia: quædam maiora, nec minus certa. Et quid hoc mirum est, cum videas ordinem rerum & naturam per constituta procedere? Hiems numquam aberrauit. Æstas suo tempore incaluit. Autumni, verisque, ut solet, facta mutatio est. Tam solstitium, quam æquinoctium, suos dies retulit. Sunt & sub terrâ minus nota nobis iura naturæ, sed non minus certa. Crede infra, quidquid vides supra. Sunt & illic specus vasti, sunt ingentes recessus, & spatia suspensis hinc & inde montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum hiatus, qui sæpè illapsas vrbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condiderunt. Hæc spiritu plena sunt. Nihil enim usquam inane est, & stagna obfessa tenebris & locis amplis. Animalia quoque illis innascuntur, sed tarda & informia: ut in aëre cæco pinguique concepta, & ¹³ in aquis torpentibus situ: pleraque ex his cæca, ut talpæ & ¹⁴ subterranei mures, quibus deest lumen, quia superuacuum est. ¹⁵ Inde, ut Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis eruantur.

XVII. Multa hoc loco tibi in mentem venient, quæ urbanè in re incredibili fabulam dicas. Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabrâ ire piscatum. Exspecto ut aliquis ¹⁶ in mari venetur. Quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes. Hoc miraris accidere. Quanto incredibilia sunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur, aut vincit. In cubili natant pisces: & sub ipsâ mensâ capitur, qui statim transferatur in mensam. Parum videtur recens mullus, nisi qui in conuiuæ manu moritur. ¹⁷ Vitreis ollis inclusi offeruntur, & obseruatur morientium color, quem in multas mutationes mors luctante spiritu vertit, alios necant in garo, & condiunt viuos. Et sunt qui fabulas putant, piscem viuere posse sub terrâ, & effodi, non capi. Quàm incredibile illis videretur, si audirent natâre in garo piscem: & cænæ causâ occisum esse super cænâ, cum multum in deliciis fuit; & oculos, antequam gulam, pauit.

XVIII. Permite mihi, quæstione sepositâ, castigare luxuriam. Nihil est, inquit, mullo exspirante formosius. Ipsâ colluctatione animam agenti rubor primum, deinde pallor suffunditur: quàm æquè variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris est. Vacatio longa somniculosæ inertisque luxuriæ. Quàm ferò expectata, circumscribi se & fraudari tanto bono sensit. Hoc adhuc tanto spectaculo & tam pulchro piscatores fruebantur, qui coctum piscem & exanimem in ipso ferculo etiam experirentur. Mirabamur tantum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi eodem die caprum piscem: qui, ut aiunt, saperet ipsum mare. Ideò cursu aduehebatur, ideò gerulis cum

A cum anhelitu & clamore properantibus dabatur via. Quò peruenere deliciæ? ¹⁸ Is pro putrido iam piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est. Nescio de re magnâ tibi credere. Ipse oportet mihi credam: huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc fastum peruenit venter delicatiorum, ut gustare non possint piscem, nisi quem in ipso conuiuio natantem, palpitantemque viderint. Quantum ad sollertiam luxuriæ pereuntis accedit, tanto subtilius quotidie & elegantius aliquid excogitat furor, vilitata contemnens. Illa audiebamus, Nihil esse melius saxatili mullo. At nunc audimus: Nihil est moriente formosius. Da mihi in manus vas vitreum, in quo exsultet, in quo trepidet. Vbi multum diuque laudatus est, ex illo perlucido viuario extrahitur: tunc ut quisque peritior est, monstrat: Vide quomodo exarserit rubor, omni acrior minio: vide quas per latera venas agat: ecce sanguineum putes ventrem: quàm lucidum quiddam, cæruleumque sub ipso tempore effulset! iam porrigitur & pallet, & in vnum colorem componitur. Ex his nemo morienti amico assidet, nemo videre mortem patris

B sui sustinet, quam optauit. Quotus quisque funus domesticum ad rogam prosequitur? Fratrum, propinquorumque extrema hora deseritur: ad mortem nulli concurritur. Nihil enim est illo formosius. Non tempero mihi, quin utar interdum temerariis verbis, & proprietatis modum excedam. Non sunt ad popinam, dentibus, & ventre, & ore contenti: oculis quoque gulosi sunt. Sed ut ad propositum reuertar, accipe argumentum: magnam vim aquarum in subterraneis occultis, fertilem fœdorum situ piscium. Si quando erupit, affert secum immensam animalium turbam, horridam adspici, & turpem, ac noxiam gustu. Certè cum ¹⁹ in Cariâ circa Lorymam urbem talis exsilisset vnda, periere quicumque illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cælo nouus amnis ostendit. Nec id mirum. Erant enim pingua & differta, ut ex longo otio, corpora: ceterum inexercitata, & in tenebris faginata, & lucis expertia, ex quâ salubritas ducitur. Nasci autem posse pisces in illo terrarum profundo, sit indicium, quòd anguillæ quoque latebrosis locis nascuntur: grauis & ipse cibus ob ignauiam, utique si altitudo illas luti penitus abscondit. Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corruatis flumina effici possunt, sed & amnes magnitudinis vastæ: quorum aliis semper in occulto cursus est, donec aliquo sinu deuorentur; alij sub aliquo lacu emergunt. Iam quis ignorat, esse quædam stagna sine fundo? Quorsus hoc pertinet? Ut appareat, hanc magnis amnis æternam esse materiam, cuius non tanguntur extrema, sicut fluminum & fontium. At quare aquis sapor varius? propter

XIX.

XX.

D *Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.*

Medicamentum est, & eius naturæ habet limum, ut corpora & adglutinet & induret. Quemadmodum Puteolanus pulvis, si aquam attigit, saxum est: sic è contrariò, hæc aqua si solidum tetigit, hæret & affigitur. Inde est, quòd res abiectæ in eundem lacum, lapideæ subinde extrahuntur. Quod in Italiâ quibusdam locis euenit, siue virgam, siue frondem demerferis, lapidem post paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, alliniturque paullatim. Hoc minus videbitur tibi mirum, si notaueris, albulam, & ferè sulphuratam aquam, circa canales suos tubosque durari. Aliquam harum habent causam illi lacus, quos quisquis faucibus hausit, ut idem poëta ait,

Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.

Similem habet vim mero, sed vehementiorem. Nam quemadmodum ebrietas, donec exsiccet, dementia est, & nimia grauitate defertur in somnum: sic aquæ huius sul-

OO 3 phurea

phurea vis habet quoddam acrius ex aëre noxio virus, quod mentem aut furore mouet, A aut sopore opprimit. ²⁰ Hoc habet mali & Lyncestius amnis:

*Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset.*

XXI. ²¹ In quosdam specus qui despexere, moriuntur: tam velox malum est, ut transuolantes aues deiiciat: talis est aër, talis locus, ex quo lethalis aqua distillat. Quod si remissior fuerit aëris & loci pestis, ipsa quoque temperatior noxa, nihil amplius quam tentat nervos, velut ebrietate torpentes. Nec miror, si locus atque aër aquas inficit, similesque regionibus reddit, per quas, & ex quibus veniunt. Pabuli sapor apparet in lacte, & vini vis exsistit etiam in aceto. nulla res est, quæ non eius à quo nascitur, notas reddat.

XXII. Aliud est etiam aquarum genus, quod nobis placet coepisse cum mundo. Siue ille æternus est, hoc quoque fuit semper: siue initium aliquod est illi, hoc quoque cum toto dispositum est. Quid sit hoc, quæris? Oceanus, & quodcumque ex illo mare terras interluit. Iudicant quidam flumina quoque, quorum inenarrabilis natura est, cum ipso B mundo traxisse principia, ut Istrum, ut Nilum, vastos amnes, magisque insignes, quam

XXIII. ut dici possit, eandem illis originem, quam ceteris esse. Hæc est ergo aquarum diuisio, ut quibusdam videtur. Post illam cælestes, quas ex superioribus nubila eiiciunt.

XXIV. Ex terrenis aliæ sunt, ut ita dicam, supernatantes, quæ in summâ humo repunt: aliæ abditæ, quarum reddita est ratio. Quare quædam aquæ caleant, quædam etiam

ferueant in tantum, ut non possint esse vsui, nisi aut in aperto evanescere, aut mixturâ frigida intepuere, plures causæ redduntur. Empedocles existimat ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquam calefcere, si subiecti sunt solo, per quod aquis transcursus est. Facere solemus ²² dracones & miliaria & complures formas, in quibus aëre tenui fistulas struimus, per decliue circumdatas: ut sæpè eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatij, quantum efficiendo calori sat est. Frigida itaque intrat, effluit calida. Idem sub terrâ Empedocles existimat fieri: quem non falli credent ij, quibus balnearia sine igne calefiunt. Spiritus in illâ feruens loco æstuantis infunditur. Hic per tubos C lapsus, non aliter quam igne subdito, parietes & vasa balnei calefacit. Omnis denique frigida transitu mutatur in calidam: nec trahit saporem evaporatio, quia clausa perlabitur. Quidam existimant, per loca sulphure plena exeuntes vel introeuntes aquas, calorem beneficio materiæ, per quam fluunt, trahere: quod ipso odore gustuque testantur. Reddunt enim qualitatem eius, quâ caluerunt, materiæ. Quod ne accidere mireris,

XXV. viuæ calci aquam infunde, feruebit. Quædam aquæ mortiferae sunt, nec odore notabiles, nec sapore. ²³ Circa Nonacrin in Arcadiâ Styx appellata ab incolis, aduenas fallit: quia non facie, non odore suspecta est: qualia sunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi nisi morte non possunt. Hæc autem, de quâ paullo antè retuli, aqua, summâ celeritate corrumpit: nec remedio locus est, quia protinus hausta duratur: nec aliter quam gypsum sub humore constringitur, & alligat viscera. ²⁴ Est autem noxia aqua in Thessaliâ circa Tempe, quam & feræ & pecus omne deuittat: per ferrum & æs exit: tanta vis illi inest, etiam dura molliendi: nec arbuta quidem vlla alit, & herbas D necat. Quibusdam fluminibus vis inest mira. ²⁵ Alia enim sunt, quæ pota inficiunt greges ouium: intraque breue tempus, quæ fuere nigræ, albam ferunt lanam: quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotiâ amnes duo efficiunt: quorum alteri ab effectu Melas nomen est: vterque ex eodem lacu exeunt, diuersa facturi. In Macedoniâ quoque, ut ait Theophrastus, est flumen, ad quod qui facere albas oues volunt, adducunt. Quod ut diutius potauere, non aliter quam infecta mutantur. At si illis lanâ opus fuerit pullâ, paratus gratuitus infector est: ad Ceronem eundem gregem appellant. Auctores novos habeo, esse in Galatiâ flumen, quod idem in omnibus efficiat: esse in Cappadociâ, quo poto equis, nec vlli prætereâ animali, color mutatur, & spargitur albo cutis. Quosdam lacus esse, qui nandi imperitos ferant, notum est. Erat in Siciliâ, est adhuc in Syriâ stagnum, in quo natant lateres, & mergi proiecta non possunt, licet graua sint. Huius rei palam causa est. quancumque vis rem expende, & contra aquam statue, dum-

A dummodò vtriusque par sit modus: si aqua grauior est, leuiorem rem, quàm ipsa est, ferret, & tanto supra se extollet: quanto erit leuior, grauiora descendunt. At si aquæ, & eius rei quam contrà pensabis, par pondus erit: nec pessum ibit, nec exstabit, sed æquabitur aquæ: & natabit quidem, sed pænè merfa, ac nullâ eminens parte. Hoc est cur quædam tigna supra aquam, pænè tota efferantur: quædam ad medium submersa sint, quædam ad æquilibrium aquæ descendant. Namque cùm vtriusque pondus par est, neutraque res alteri cedit, grauiora descendunt, leuiora gestantur. Graue autem & leue est, non æstimatione nostrâ, sed comparatione eius quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior est hominis corpore, aut saxi, non finit id quo non vincitur, mergi. Sic euenit, vt in quibusdam stagnis ne lapides quidem pessum eant. de solidis & duris loquor. Sunt enim multi pumicosi & leues, ex quibus quæ constant²⁶ insulæ, in Lydiâ natant. Theophrastus est auctor. Ipse ad Cutylias natantem insulam vidi. Alia in Vadimonis lacus vehitur, alia in lacu Stationensi. Cutyliarû insula & arbores habet, & herbas nutrit, tamen aquâ **B** sustinetur: & in hanc atque illam partem non tantùm vento impellitur, sed & aurâ. Nec vnquam illi per diem & noctem in vno loco statio est: adeò mouetur leui flatu. Huic duplex causâ est. Aquæ grauitas medicatæ, & ob hoc ponderosæ; & ipsius insulæ materia vectabilis, quæ non est corporis solidi, quamuis arbores alat. Fortasse enim leues truncos, frondesque in lacu sparsas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam si qua in illâ saxa sunt, inuenies exesa & fistulosa: qualia sunt quæ duratus humor efficit, vtique circa medicatorum fontium riuos: quæ vbi purgamenta aquarum coa-luerunt, ex spumâ solidantur. Necessariò leue est, quod ex ventoso inanique concre-tum est. Quorundam causâ non potest reddi, quare aqua Nilotica facundiores fæ-minas faciat, adeò vt quarundam viscera longâ sterilitate præclusa, ad conceptum rela-xauerit: quare quædam in Lyciâ aquæ conceptum fæminarum custodiant, quas solent petere, quibus parùm tenax vulua est. Quod ad me attinet, pono ista inter temerè vul-gata. Creditum est, quasdam aquas scabiem adferre corporibus, quasdam vitiliginem, **C** & fædam ex albo varietatē, siue infusa siue pota sit. quod vitium dicunt habere aquam ex rore collectam. Quis non grauissimas esse aquas credat, quæ in crySTALLUM coeunt? Contrà autem est. tenuissimis enim hoc euenit, quas frigus ob ipsam tenuitatem facilli-mè gelat. Vnde autem fiat eiusmodi lapis, apud Græcos ex ipso nomine apparet: *κρύσταλλον* enim appellant æquè hunc perlucidum lapidem, quàm illam glaciem, ex quâ fieri creditur. Aqua enim cælestis minimum in se terreni habens, cùm induruit, longio-ris frigoris pertinaciâ spissatur magis ac magis: donec omni aëre excluso in se tota com-pressa est, & humor qui fuerat, lapsus effectus est. xxvi. **E**state quædam flumina au-gentur,²⁷ vt Nilus: cuius aliàs ratio reddetur. Theophrastus est auctor, in Ponto quo-que quosdam amnes crescere tempore æstiuo; quattuor autem esse iudicant causas. Aut quia tunc maximè in humorem mutabilis terra est: aut quia maiores in remoto imbres sunt, quorum aqua per secretos cuniculos reddita, tacitè suffunditur. Tertia, si crebrio-ribus ventis ostium cæditur, & reuerberatur fluctu, amnis restitit: qui crescere videtur, **D** quia non effunditur. Quarta ratio est siderum. Hæc enim quibusdam mensibus magis vrgent, & exhauriunt flumina: cùm longiùs recesserunt, minus consumunt, atque tra-hunt. Itaque quod impendio solebat, id incremento accedit. Quædam flumina palàm in aliquem specum decidunt, & sic ex oculis auferuntur: quædam consumuntur paul-latim, & intercidunt: eadem ex interuallo reuertuntur, recipiuntque & nomen & cur-sum. Causâ manifesta est, sub terrâ vacat locus. Omnis autem humor naturâ ad infe-rius, & ad inane defertur. Illò itaque recepta flumina cursus egere secretò: sed cùm pri-mùm aliquid solidi, quod obstaret, occurrit, præruptâ parte, quæ minùs ad exitum re-pugnabat, repetiere cursum suum.

²⁸ Sic vbi terreno Lycus est epotus hiatu,
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore.
Sic modò combibitur, tacito modò gurgite lapsus,
Redditur Argolicis ingens Erasinus in vndis.

Idem & in Oriente Tigris facit : absorbetur , & desideratus diu , ²⁹ tandem longè re- A
moto loco , non tamen dubius , an idem sit , emergit. Quidam fontes certo tempore pur-
gamenta ciectant : ³⁰ vt Arethusa in Sicilia , quintâ quaque æstate per Olympia. Inde
opinio est , Alphæon ex Achaiâ eò vsque penetrare , & agere sub mare cursum , nec antè
quàm in Syracusano littore emergere. Ideoque iis diebus quibus Olympia sunt , victi-
marum stercus secundo traditum flumini illuc redundare. Hoc & à te traditum est in
poëmate , Lucili carissime , & à Virgilio qui alloquitur Arethusam :

Sic tibi cum fluctus subter labere Sicanos,

Doris amara suam non intermisceat undam.

Est in Chersoneso Rhodiorum fons , qui post magnum interualum temporis , fæda
quædam turbidus ex intimo fundat , donec liberatus eliquatusque est. Hoc quibusdam
locis fontes faciunt , vt non tantum lutum , sed folia , testasque , & quidquid putre iacuit ,
expellant : vbiq; autem facit mare : cui hæc natura est , vt omne immundum stercoro-
sumque littoribus impingat. Quædam verò partes maris id certis temporibus faciunt : B
vt ³¹ circa Messanam & Mylas fimo quiddam simile , turbulentum in littus mare pro-
fert , feruetque & æstuat , non sine odore fædo. Vnde illuc stabulare Solis boues , fabula
est. Sed difficilis ratio est quorundam : vtique inibi tempus eius rei , de quâ quæritur ,
inobseruatum & incertum est. Itaque proxima quidem inueniri , & vicina non potest
caussa , ceterum publica est illa. Omnis aquarum stantium clausarumque natura se pur-
gat. Nam in his quibus cursus est , non possunt vitia consistere , quæ secunda vis defert
& exportat. Illæ quæ non emittunt quidquid infedit , magis minùsve æstuant. Mare ve-
rò cadauera , stramentaque , & naufragorum reliquiis similia , ex intimo trahit , nec tan-
tum tempestate fluctuque , sed tranquillum quoque placidumque purgatur. Sed
monet me locus , vt quæram , cum fatalis dies diluuij venerit , quemadmodum magna
pars terrarum vndis obruatur. Vtrum Oceani viribus fiat , & externum in nos pelagus
exsurgat : an crebri sine intermissione imbres , & elisa æstate hiems pertinax , immensam
vim aquarum ruptis nubibus deiiciat. An flumina tellus largiùs fundat , aperiatque fon- C
tes novos : aut non sit vna tanto malo causa , sed omnis ratio consentiat , & simul imbres
cadant , flumina increcant , maria sedibus suis excita percurrant , & omnia vno agmine
ad exitium humani generis incumbant. Ita est. Nihil difficile est naturæ , vtique vbi in
finem sui properat. Ad originem rerum parcè vtitur viribus , dispensatque se incremen-
tis fallentibus : subito ad ruinam toto impetu venit. Quàm longo tempore opus est , vt
conceptus ad puerperium perducatur infans ? quantis laboribus tener educatur ? quàm
diligenti nutrimento obnoxium nouissimè corpus adolescit ? at quàm nullo negotio sol-
uitur ? Vrbes constituit ætas : hora dissoluit. Momento fit cinis : diu silua. Magnâ tutelâ
stant ac vigent omnia : citò ac repente dissiliunt. Quidquid ex hoc statu rerum natura
flexerit , in exitium mortalium satis. Ergo cum affuerit illa necessitas temporis , multâ si-
mul fata causas mouent : nec sine concussione mundi tanta mutatio est , vt quidam pu-
tant , inter quos Fabianus est. Primò immodici cadunt imbres , & sine vllis solibus triste
nubilo cælum est : nebulaque continua , & ex humido spissaque caligine , numquam ex- D
siccantibus ventis. Inde vitium satis , & segetum sine fruge surgentium marcor. Tunc
corruptis quæ feruntur manu , palustris omnibus campis herba succrescit : mox iniuriam
& validiora sensere. Solutis quippe radicibus , arbuta procumbunt & vitis ; atque omne
virgultum non tenetur solo , quod molle fluidumque est : iam nec gramina aut pabula
læta aquis sustinet , fame laboratur , & manus ad antiqua alimenta porrigitur : quare ilex
& quercus excutitur , & quæcumque in his arduis arbor commissurâ astricta lapidum
stetit. Labant ac madent tecta , & in inum vsque receptis aquis fundamenta desidunt ,
ac tota humus stagnat , frustra titubantium fulcra tentantur. Omne enim fundamentum
in lubrico figitur , & lutosa humo nihil stabile est. Postquam magis magisque nimbi
ingruunt , & congestæ sæculis tabuerunt niues , deuolutus torrens altissimis montibus
rapit siluas malè hærentes , & saxa reuolutis remissa compagibus rotat. Abluit villas , &
intermixtos ouium greges deuehit , vulsisque minoribus tectis , quæ in transitu abduxit ,
tandem

A tandem in maiora violentus oberrat. Vrbes, & implicitos trahit mœnibus suis populos, ruinam an naufragium querantur, incertos: adeò simul, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit. Auctus deinde processu aliquo in se torrentibus raptis plana passim populatur. Nouissimè ruinâ magnâ gentium clarus onustusque diffunditur. Flumina verò suapte naturâ vasta, & tempestatibus rapta, alueos relinquunt. Quid tu esse Rhodanum, quid putas Rhenum atque Danubium, quibus torrens etiam in canali suo cursus est, cum superfusi nouas sibi fecere ripas, ac scissâ humo simul excessere alueo? Quantâ cum præcipatione voluuntur, ubi per campestria fluens Rhenus, ne spatio quidem languidus, sed latissimè velut per angustum aquas implet? Cumque Danubius non iam radices, nec media montium stringit, sed iuga ipsa sollicitat, ferens secum madefacta montium latera, rupesque deiectas, & magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus à continente recesserunt. Deinde non inueniens exitum (omnia enim sibi ipse præcluserat) in orbem redit, ingentemque terrarum ambitum atque vrbiū vno vortice inuoluit. Interim permanent imbres, fit cælum grauius, ac sic diu malum ex malo colligit. Quod olim fuerat nubilum, nox est: & quidem horrida & terribilis, intercussu luminis diri crebra enim micant fulmina, procellæ quatunt mare: tunc primum auctum fluminum accessu, & sibi angustum, iam promouet littus: non continetur suis finibus, sed prohibent exire torrentes, aguntque fluctus retrò: pars tamen maior, ut maligno ostio retenta, restagnat, & agros in formam vnius lacus redigit. Iam omnia, quæ prospici potest, aquis obsidentur. Omnis tumultus in profundo latet, & immensa vbique altitudo est. tantum in summis montium iugis vada sunt. In ea excelsissima cum liberis coniugibusque fugere, actis ante se gregibus: diremptum inter miseros commercium ac transitus: quoniam quidquid submissius erat, id vnda compleuit. Editissimis quibusque adhærebant reliquæ generis humani: quibus in extrema per ductis, hoc vnum solatio fuit, quod transierat in stuporem metus, non vacabat timere mirantibus: nè dolor quidem habebat locum. Quippe vim suam perdit in eo, qui ultra sensum mali miser est. Ergo insularum modo eminent montes, & sparsas Cycladas augent, ut ait ille

C ²² poëtarum ingeniosissimus egregiè, sicut illud pro magnitudine rei dixit:

Omnia pontus erat: deerant quoque littora ponto.

nisi tantum impetum ingenij & materiæ ad pueriles ineptias reduxisset.

Nat lupus inter oues, fuluos vebit vnda leones.

Non est res satis sobria, lasciuiare deuorato orbe terrarum. Dixit ingentia, & tantæ confusionis imaginem cepit, cum dixit:

Exspatiata ruunt per apertos flumina campos.

Pressæque labant sub gurgite turres.

Magnificè hoc, si non curauit, quid oues & lupi faciant. Natari autem in diluuiò & in illâ rapinâ potest? aut non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat,mersum est? Concepisti imaginem quantam debebas, obrutis omnibus terris, cælo ipso in terram ruente. Perfer. Scies, quid deceat, si cogitaueris orbem terrarum natare. Nunc ad propo-

D situm reuertamur. Sunt qui existiment, immodicis imbribus vexari terras posse, xxviii. non obrui. Magno impetu magna ferienda sunt. Faciet pluuia segetes malas, fructum grandio decutiet, intumescunt riuus flumina: sed resident. Quibusdam placet moueri mare, & illinc caussam tantæ cladis accersi. Non potest torrentium, aut imbrium, aut fluminum iniuriâ fieri tam grande naufragium. Vbi instat illa perniciēs, mutariq; genus humanum placuit, fluere assiduos imbres, & non esse modum pluuiis concesserim: suppressis aquilonibus, & flatu sicciore: austris nubes & imbres & amnes abundare.

Sed adhuc in damna profectum est.

Sternuntur segetes, & deplorata colonis

Vota iacent, longique perit labor irritus anni.

Non lædi debent terræ, sed abscondi. Denique cum per ista prolusum est, crescunt maria, sed super solitum, & fluctum ultra extremum tempestatis maximæ vestigium mittunt. Deinde à tergo ventis surgentibus, ingens æquor euoluunt, quod longè à conspectu litto-

littoribus frangitur. Deinde ubi litus bis terque prolatus est, & pelagus in alieno con- A
stitit, velut ad moto malo cominus procurrat aestus ex imo recessu maris. Nam ut aëris,
ut aetheris, sic huius elementi larga materia est, multoque in abdito plenior. Hæc satis
mota, non aestu, (nam aestus fati ministerium est) attollit vasto sinu fretum, agitque an-
te se. Deinde in miram altitudinem erigitur: & illis tutis hominum receptaculis super-
est. Nec id aquis arduum est, quoniam æquo terris fastigio ascenderet. Si quis excelsa
perlibret, maria paria sunt. Nam par undique sibi ipsa tellus est. Caua & plana undique
inferiora sunt. Sed istis adeo in rotundum orbis æquatus est, in parte autem eius & ma-
ria sunt, quæ in vnus æqualitatem pilæ coeunt. Sed quemadmodum campos intuentem,
quæ paullatim deuexa sunt, fallunt: sic non intelligimus curuaturas maris, & videtur
planum quidquid apparet: at illud æquale terris est. Ideoque ut effluat, non magnâ mo-
le se tollit: dum satis est illi, ut supra paria veniat, leuiter exsurgere: nec à littore ubi in-
ferius est, sed à medio, ubi ille cumulus est, defluit. Ergo ut solet aestus æquinoctialis,
sub ipsum lunæ solisque coitum, omnibus aliis maior undare: sic hic qui ad occupandas B
terras emittitur, solitis maximisque violentior, plus aquarum trahit: nec antequam su-
pra cacumina eorum, quos perfuturus est, montium creuit, deuoluitur. Per centena mil-
lia quibusdam locis aestus excurrit innoxius, & ordinem seruat. Ad mensuram enim cre-
scit, iterumque decrescit. At illo tempore solutus legibus, sine modo fertur. Quâ ratio-
ne, inquis? Eadem, quâ conflagratio futura est. Vtrique fit, cum Deo visum ordiri me-
liora, vetera finire. Aqua & ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, & ex his interitus
est. Ergo quandoque placuere res nouæ mundo, sic in nos mare emittitur desuper, ut
XXIX. feruor ignis, cum aliud genus exitij placuit. Quidam existimant terram quoque
concuti, & dirupto solo noua fluminum capita detegere, quæ amplius ut è pleno profun-
dant. Berossus, qui Belum interpretatus est, ait cursu ista siderum fieri: & adeo quidem
id affirmat, ut conflagrationi atque diluuiio tempus assignet: arsura enim terrena contem-
dit, quando omnia sidera, quæ nunc diuersos agunt cursus, in Cancrum conuenerint, sic
sub eodem posita vestigio, ut recta linea exire per orbem omnium possit: inundationem C
futuram, cum eadem siderum turba in Capricornum conuenerit. Illic solstitium, hic bru-
ma conficitur. Magnæ potentiae signa: quando in ipsa mutatione anni momenta sunt.
Et istas ego receperim causas (neque enim ex vno est tanta perniciēs) & illâ quæ in con-
flagratione nostris placet, huc quoque transferendam puto: siue anima est mundus, siue
corpus: naturâ gubernante, ut arbores, ut fata, ab initio eius usque ad exitum quidquid
facere, quidquid pati debeat, inclusum est: ut in semine omnis futuri ratio hominis
comprehensa est. Et legem barbare & canorum nondum natus infans habet. totius enim
corporis, & sequentis ætatis in paruo occultoque lineamenta sunt. Sic origo mundi, non
minus solem & lunam, & vices siderum, & animalium ortus, quam quibus mutaren-
tur terrena, continuit. In his fuit inundatio, quæ non secus quam hiems, quam æstas, le-
ge mundi venit. Itaque non pluuia istud fiet, sed pluuia quoque: non incursum maris, sed
maris quoque incursum: non terræ motu, sed terræ quoque motu. Omnia adiuuabunt na-
turam, ut naturæ constituta peragantur. Maximam tamen causam, ad se inundandam, D
terra ipsa præstabit: quam diximus esse mutabilem, & solui in humorem. Ergo quan-
doque erit terminus rebus humanis, cum partes eius interire debuerint, abolerive fundi-
tus totæ, ut de integro totæ, rudēs innoxieque generentur: nec supersit in deteriora ma-
gister: plus humoris, quam semper fuit, fiet. Nunc enim elementa ad id, quod debetur,
pensa sunt. Aliquid oportet alteri accedat, ut quæ libramento stant, inæqualitas turbet.
Accedet humori. Nunc enim habet quo ambiat terras, non quo obruat. Quidquid illi
acceserit, necesse est in alienum locum exundet. Undare ergo terra debet, ut validiori in-
firma succumbat. Incipiet ergo putrescere, dehinc laxata ire in humorem, & assiduâ ta-
be defluere. Tunc exsurgent sub montibus flumina, ipsosque impetu quatiant: inde au-
râ tacitâ manabunt. Solum omne aquas reddet, summi scaturient montes: quemadmo-
dum in morbum transeunt sana, & vlceri vicina consentiunt: ut quæque proxima ter-
ris fluentibus fuerint, eluentur, stillabunt, & deinde current, & hiant pluribus locis
faxo

A faxo, per fretum
æquoris fauor
qui terras cin-
nebit alienos
compressio
& Cretici fin-
in suas parte
runt tempore
ipsis arcibus
condet dies
extulit, nobis
Sunt omnia
non subito
B bitum ex in-
sit quandoque
Non vides
suis trahit
petua cum
metus est è
disposuit, ut
humor occu-
git, eruent
maris cond-
luuio, cum
amnes am-
& maiore
C quemadmo-
intra se, quæ
mora exitij
tâ remiserit
irruptio. N-
nentibus, quæ
dit circuitu
coire prop-
centia vnde
rum homin-
intra termin-
Oceanus: a
terris homo-
D non durabi-
ctorem ducit

A saxo, per fretum salient, & maria inter se component. Nihil erunt Hadriatici, nihil Siculi æquoris fauces, nihil Charybeis, nihil Scylla. Omnes nouum mare fabulas obruet, & hic qui terras cingit Oceanus extremas, veniet in medium. Quid ergo est? nihilominus tenebit alienos menses hiems, æstas prohibebitur, & quodcumque terras fidus exsiccat, compresso ardore cessabit. Peribunt tot nomina, Caspium & Rubrum mare, Ambracij & Cretici sinus, Propontis & Pontus. Peribit omne discrimen. Confundetur quidquid in suas partes natura digessit. Non muri quemquam, non turres tuebuntur. Non proderunt templa supplicibus, nec urbium summa: quippe fugientes vnda præueniet, & ex ipsis arcibus deferet. Alia ab occasu, alia ab oriente concurrent: vnus humanum genus condet dies. Quidquid tam longa fortunæ indulgentia excoluit, quidquid supra ceteros extulit, nobilia pariter atque adornata, magnarumque gentium regna pessumdabit.

Sunt omnia, vt dixi, facilia naturæ: vtique quæ à primò facere constituit, ad quæ **xxx.** non subito, sed ex denunciato venit. Iam autem à primo die mundi, cùm in hunc habitum ex informi vnitæ discederet, quando mergerentur terrena, decretum est: & ne sit quandoque velut in nouo opere, dura molitio, olim ad hæc maria se exercent. **B** Non vides, vt fluctus in littora, tamquam exiturus, incurrat? Non vides, vt æstus fines suos transeat, & in possessionem terrarum mare inducat? Non vides, vt illi perpetua cum claustris suis pugna sit? Quis porro istinc, vnde tantum tumultum vides, metus est è mari, & inagno impetu erumpentibus fluuiis? Vbi non humorem natura disposuit, vt vndique nos, cùm voluisset, aggredi posset? Mentior, nisi eruentibus terram humor occurrit, & quoties nos auaritia aut defodit, aut aliqua causa penetrare altius cogit, eruendi finis vnda est. Adiice nunc, quòd immanes sunt in abdito lacus, & multum maris conditi, multum fluminum per opera labentium. Vndique ergo erunt causæ diluuii, cùm aliæ aquæ subinfluunt terras, aliæ circumflutunt, quæ diu coercitæ vincent, & amnes amnibus iungent, paludibus stagna. Omnium tunc mare ora fontium implebit, & maiore hiato soluet. Quemadmodum corpora nostra ad egestum venter exhaurit, **C** quemadmodum cuncta in sudorem vires: ita tellus liquefiet, & aliis causis quiescentibus, intra se, quo mergatur, inueniet: sic magna omnia coitura crediderim. Nec erit longa mora exitij. Tentatur diuelliturque concordia, cùm semel aliquid ex hac idoneâ diligentia remiserit mundus: statim vndique ex aperto supernè, ex abdito ab imo aquarum fiet irruptio. Nihil est tam violentum & incontinens sui, tam contumax, infestumque retinentibus, quàm magna vis vndæ: vtetur libertate permissa, & iubente naturâ, quæ scindit circuitque, complebit. Vt ignis diuersis locis ortus, citò miscet incendium, flammis coire properantibus: sic momento redundantia maria se committent. Nec ea semper licentia vndis erit: sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris, in quarum homines ingenia transferant, iterum aquas terra sorbebit: natura pelagus stare, aut intra terminos suos furere coget: & reiectus è nostris sedibus, in sua secreta pelletur Oceanus: antiquus ordo reuocabitur. Omne ex integro animal generabitur, dabiturque; terris homo inscius scelerum, & melioribus auspiciis natus. Sed illis quoque innocentia **D** non durabit, nisi dum noui sunt. Citò nequitia subrepat: virtus difficilis inuentu est, rectorum ducemque desiderat. Etiam sine magistro vitia discuntur.

M. ANTONII MURETI
AD LIBRUM TERTIUM
NATURALIUM SENECAE
QUESTIONVM, NOTÆ.

AD PROOEMIUM. I. DEVS
ALIA EXALTAT, ALIA SVBMITTIT.]
Hoc Aesopus quasi proprium Dei opus esse
respondit. Et notum est illud Hesiodi,
Ρέα μὲν γὰρ βελαίη, ρέα δὲ βελαίοντα χαλκίπτει,
Ρέα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδνηλον αἰεεῖ
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπερτάτα δώματα ναίει.

AD CAP. II. 2. AVT STANT OMNES
AQVÆ, AVT FLVNT, AVT COLLIGVNTVR.]
Prima diuisio aquarum. Τῶν ὑδάτων τὰ μὲν στασι-
μα, τὰ δὲ ρυτὰ, τὰ δὲ συλλογιαῖα.

3. QVÆDAM HAVSTÆ FOECVNDITATEM
ADFERVNT.] Theophrastus libro IX. περὶ φυτῶν:
Ἐνιαχὲς μὲν γὰρ φασὶ τὸ ὑδὼρ παιδογόνον εἶναι γυ-
ναῖξιν, ὡς αὐτὴ καὶ ἐν Θεωρίαις· ἐνιαχὲς δὲ ἀγονον, ὡς ἐν
Πυρᾷ. Plinius libro XXXI. Thespjarum fons con-
ceptus mulieribus repræsentat. Item in Arcadiâ
flumen Elatum. Custodit autem partum Linus
fons in eadem Arcadiâ, abortusque fieri non pa-
titur. E diuerso in Pyrâ flumen quod Aphrodi-
sium vocant, steriles facit. Solinus in capite de Si-
ciliâ: Ibi & fontes duo. Alterum si sterilis sum-
pserit, fœcunda fiet: alterum si fœcunda haufe-
rit, vertitur in sterilitatem.

AD CAP. V. 4. QVIDAM IVDICANT.]
De causâ & origine fluviorum ac fontium videndus
Aristoteles cap. XIII. libri I. Meteorologicon.

AD CAP. X. 5. FIVNT OMNIA EX OM-
NIBVS.] Vide eundem Aristotelem capite quarto
libri II. περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς.

6. OMNIA IN OMNIBVS SVNT.] Vetus dictum
Anaxagoræ: Πᾶν ἐν παντὶ μέμικται.

AD CAP. XI. 7. IN CORICO MONTE.]
Plinius, In Coryco monte amnis erupit, post-
quam cœptus est coli.

8. HÆMVS.] Hac de re ita idem Plinius: Na-
scuntur fontes decisis plerumque siluis, quos ar-
borum alimenta consumeant: sicut in Hæmo,
obsidente Gallos Cassandro, cum valli gratiâ sil-
uas cecidissent.

9. IDEM AIT CIRCA ARCADIAM.] Plinius:
Et coli mouerique terram, callumque summæ cu-
tis solui, aquarum interest. Proditur certè in Cre-
tâ expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia,
cessasse fontes, amnesque, qui in eo situ multi erant.
Rursus condito, post sex annos emeruisse, uti quæ-
que cœpissent partes coli.

AD CAP. XIII. 10. AQVA, AIT THA-
LES.] Aquam principium rerum omnium esse

tradidit Thales, ut auctor est Aristoteles libro primo
maiorē ἢ μετὰ τὰ φυσικά. Eandem putabant fuisse
sententiam vetustissimorum poetarum, quos illi Theo-
logos vocabant. Nam & eodem respexisse Homerum
illo versu,

Ὁ κεανὼν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μετέα Τηθύ.]
& cum Odysseas v', Neptunum ab Ioue ipso vocari
facit deorum antiquissimum & optimum.

AD CAP. XV. 11. SED HOC AMPLIVS
CENSEO.] Senatorium loquendi genus: cum qui sen-
tentiam dicturus erat, probabat quidem quæ ab aliis
dictæ erant, sed addebat aliquid etiam de suo.

AD CAP. XVI. 12. SED QVARE QVI-
DAM FONTES SENIS HORIS PLENI, SENISQUE
SICCI SVNT?] Huic simile quiddam de Dodoneo
fonte scriptum reliquit Plinius libro II. Meridie,
inquit, semper deficit: quâ de causâ anapauome-
non vocant. Mox increscens ad medium noctis
exuberat: ab eo rursus sensim deficit. Paullo post
addit, fontes esse calidos contra Timæum amnem,
qui pariter cum aestu maris crescunt, minuunturve.
Vide quæ de fonte Comensi scribit Plinius Cecilianus
epistolâ ultimâ libri quarti: quæ eadem & Plinius
auunculus, sed brevius, tradiderat.

13. ET IN AQVIS TORPENTIBVS SITV.] Male
in aliis libris, facta.

14. SVBTERRANEI MVRES.] Ita veteres libri,
non, ut alij, vermes.

15. INDE, VT THEOPHRASTVS AFFIRMAT,
PISCES QVIBVS DAM LOCIS ERVNTVR.] Hunc
ipsum, ut opinor, Theophrasti locum citat Athenæus
principio lib. octavi, Plinius etiam copiosius cap. LVII.
libri noni.

AD CAP. XVII. 16. IN MARI VENE-
TVR.] Multò hæc scripturâ melior, quàm illa vul-
gata, in mari versetur.

17. VITREIS OLLIS INCLVSI OFFERVNTVR.]
De his ipsis deliciis vide quæ scribit Plinius lib. nono.

AD CAP. XVIII. 18. IS PRO PVTRI-
DO.] Totus hic locus quanto melius in veteribus,
quàm in vulgatis libris legatur, cupio ex collatione
cognosci. Ita enim scriptum est in illis: Is pro putri-
do iam piscis est, qui hodie eductus, & cetera, &
paullo post: Ut gustare possint, nisi quem. Vox
piscem redundat. de nullo enim tantum loquitur.

AD CAP. XIX. 19. IN CÀRIA CIRCA
LORVMA VRBEM.] Ita iam pridem legendum
docui

docui capite septimo libri duodecimi *Variarum lectionum*: idq. ex libro vetere, Strabone, Melâ, Plinio, Ptolemæo. Menio eius oppidi est apud *Linium* libro xxxvii.

AD CAP. XX. 20. HOC HABET MALI LYNCESTIVS AMNIS.] Ita legendum ex vetere libro & ex historiâ. Theopompus ἐν Λυχνήσω ποταμῷ πηγὴν εἶναι τῇ μὲν γένεσι ὀξυγαστὴν, τὰς δὲ πύοντας μεθύσκειν. Athenæus libro ii. Meminit & *Vitruvius*, & *Plinius*, & *Oribasius*.

AD CAP. XXI. 21. IN QVOSDAM SPECVS.] Noti sunt *Virgiliani* versus de *Averno*.

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumq; tenebris:
Quam super haud ullæ poterant impune volantes

Tendere iter pennis. talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad cœuxa ferebat.

AD CAP. XXIII. 22. DRACONES ET MILIARIA.] Vtraque vasa sunt ad aquam calefaciendam. Dracones à figurâ dicti. Miliarium & apud iuris auctores, & apud alios mentio.

AD CAP. XXV. 23. CIRCA NONACRIN.] *Vitruvius*: Item est in *Arcadiâ* *Nonacris* nominata terræ regio, quæ habet in montibus è saxo stilantes frigidissimos humores. Hæc autem aqua στυγὴς ὕδωρ nominatur, quam neque argenteum, neque æneum, neque ferreum vas potest sustinere: sed defilit & dissipatur. Conseruare autem eam & continere nihil aliud potest, nisi mulina vngula, quæ etiam memoratur ab *Antipatro* in prouinciam, ubi erat *Alexander*, per *Iollam* filium perlata esse, & ab eo eâ aquâ regem necatum. Huius aquæ *Herodotus*, *Curtius*, *Plinius*, *Plutarchus*, alij eandem esse vim tradiderunt.

24. EST AVTEM NOXIA AQUA IN THESALIA.] Meminit huius & *Vitruvius* libro octauo, & *Plinius* capite secundo libri xxxi.

25. ALIA ENIM SVNT, QVÆ POTA.] *Vitruvius*: Sunt *Bœotiæ* flumina *Cephisus* & *Melas*, *Lucaniæ* *Crathis*, *Troix* *Xanthus*, inque agris *Clazomeniorum* & *Erythreorum* & *Laodicen- sium* fontes ac flumina. cùm pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur cō quotidie potum: ex eo-

que quamuis sint alba, procreant aliis locis leucophæa, aliis pulla, aliis coracino colore. *Ovidius*:

Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris,

Electro similes faciunt, auroque capillos.

Νυμφὸς δ' ὡς ἐκ τῆς Θέβης ποταμοῦ, τὴν Κραθίδα τὸ ὕδωρ ἔχει. Scholiastes *Theocriti* in *eidyllium* quintum. Vide & *Plinium* libri ii. cap. ciii. & capite secundo libri xxxi. ex quo intelliges, rectè à me scriptum paullo infra hæc verba, ad *Ceronem*, ubi alij legebant, ad *Penenion*. De *Xantho* idem ab *Aristotele* traditur libro iii. de historiâ animalium, nisi quod pro *Xantho* *Scamandrum* vocat.

26. INSVLÆ IN LYDIA NATANT.] Vide *Plinium* cap. xcv. libri ii. Talem insulam parvam quidem, sed quæ tamen arbores habeat, & in quâ & pecudes & armenta pascantur, in viâ *Tiburinâ*. sæpè magnâ cum voluptate spectant.

AD CAP. XXVI. 27. VT NILVS, CUIVS ALIAS RATIO REDDETVR.] Libro proximè sequenti.

28. SIC VBI TERRENO LYCVS.] De *Lycō*, *Erasino*, *Tigride*, idem & apud *Plinium* legitur.

29. TANDEM LONGE REMOTO LOCO.] Locus hic sedè mutilatus ab aliis, ita in vetere libro meo legitur: Tandem longè remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta eieciunt. Ego autem, qui iam pridem ita restituissem, monueram decem ab hinc annos, ita restituendum esse, capite septimo libri duodecimi *Variarum lectionum*. Sed negligentia eius, cuius operâ in eis libris, grauiter tunc egrotus, utebar, factum est, ut ea omnia omiſsa sint, quæ ex vetere libro addenda erant.

30. VT ARETHVSA.] *Plinius* libri secundi cap. ciii.

31. CIRCA MESSANAM ET MYLAS.] *Plinius* libri secundi cap. xcvi.

AD CAP. XXVII. 32. POETARVM INGENIOSISSIMVS.] Notanda eximia, eademq; verissima laus *Ovidij*, quem hodie nonnulli ineptè fastidiosi contemnere audent. Notandum etiam, quanto iudicio *Seneca* in eo reprehendat ea, in quibus luxurianti ingenio nimis indulsit. Hæc nos in scribendo cautiore & consideratiores facere debent.